

pleamus, et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis an-
tequam marcescant: nullum pratum sit quod pertranseat luxuria
nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriae nostrae: ubique relinquamus
signa laetitiae: quoniam haec est pars nostra et haec est sors. Oppri-
mamus pauperem iustum et non parcamus viduae, nec veterani reve-
reamur canos multi temporis...; quod enim infirmum est, inutile invenitur.
Circumveniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis et contrarius
est operibus nostris, et impropereat nobis peccata legis, et diffamat in nos
peccata disciplinae nostrae. Promittit se scientiam Dei habere et filium
Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.
Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita
illius, et immutatae sunt viae eius. Tanquam nugaces aestimati sumus
ab illo, et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et praefert
novissima iustorum, et gloriatur patrem se habere Deum. Contumelia
et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam eius, et probemus
patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit, enim, ei res-
pectus ex sermonibus illius¹. Quamobrem iuste de mundi incolis Iob que-
ritur: Abundant tabernacula predonum², et Ioannes dolet: omne quod est
in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia
vitae³, et paucis, at sculptorio modo, alibi: Mundus totus in maligno positus
est⁴. Haec antiquissima est pugna quae ab ipsa mundi origine inter filios
lucis tenebrarumque filios geritur, et qua factum est ut mundi asseclae
vicissim Christifideles, oderint, divinum iuxta eloquium illud: Quia de
mundo non estis, propterea odit vos mundus⁵. Quamobrem pluribus do-
cumentis haud sane Pastor eget ad illud Apostoli retinendum sequen-
dumque: Nolite diligere mundum, neque ea quae in eo sunt⁶.

c) Quo censu habendus sit recolit Augustinus: utere mundo,
non te capiat mundus⁷. Pastores [boni medici ad instar, qui tam ae-
grotum diligit, quantum infirmitatem odit] vitia odientes, homines autem
diligentes, mundum omni nisu sanare contendant, cum hoc princeps
apostolatus munus sit, quod et Pastores onnes, excolere impense debent.
Non odium, igitur, in hominum societatem mala haec tibi suadeant, sed
dilectionem misericordiamque magis foveant.

75. — Ad argumentum nostrum quod pressius attinet [conclusionis
instar], aliquid de vulgi moribus addere iuvat, de illa nimirum

¹ Sapient., II, 15 et seq.

² XII, 6.

³ II, 16.

⁴ XV, 19.

⁵ I Ioan. V. 19.

⁶ Id. II, 15.

⁷ Tract. II in Ioan.

mundi parte quae [plus minusve ubique habetur], plerumque insipiens,
publicam conflatur famam, et ex qua potissimum obstacula vel adiumenta
regiminis oriuntur. Quapropter sequentes vulgi qualitates esse Pastor sciat:

a) Absentia iudicii et veritatis inimicitia, ut Tacitus iam
monebat: Plebi non iudicium, non veritas¹; quod Cicero quoque ani-
madvertebat scribens: vulgus non delectu aut sapientia ducitur ad iudi-
candum, sed impetu et quadam etiam temeritate²; et Sallustius iterabat
dicens: Mora magis quam iudicio, post alium quasi prudentiorem se-
quantur³, et Seneca: Pecorum ritu antecedentium gregem⁴.

b) Invidia. — Plebs aegris oculis alienam felicitatem intuetur⁵,
et quidquid excellit, impetit.

c) Suspicio et credulitas. — Mos vulgo quamvis falsis rem
subdere⁶, et primum ad suspiciones⁷; facilis... ad credenda accipiendaque
omnia nova⁸; quia quoquomodo audita, pro compertis habet⁹. Tunc
vagus primus et incertus rumor, mox ut in magnis mendaciis inter-
fuisse se quidam et vidisse affirmant: credula fama inter gaudentes et
incuriosos¹⁰. Quod si ne falsa vulgentur vetas, tunc prohibiti, per civi-
tatem sermones eoque plures ac si liceret, vera narraturi, quia veta-
bantur, atrociora vulgaverant¹¹.

d) Instabilitas. — Vulgus ingenio mobili, seditiosum atque
discordiosum, cupidum novarum rerum, quieti et otio adversum¹². Ut
mare quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitur, sic po-
pulus sua sponte placatus, hominum seditiosorum vocibus et violentissimis
tempestatibus attollitur¹³.

e) Nimietas. — Haec est natura multitudinis, aut servit humi-
liter, aut superbe dominatur: libertatem, quae media est, nec sperare mo-
dice, nec habere scit¹⁴. Vulgus, potiusquam veritati et virtuti, speciei
favet, ut Thucydides monet scribens: Quidquid modestum, ignaviae spe-
ciem habet; quod circumspectum et providum, segnitiae: quidquid autem
abruptum et praecipuum, id vero forte et virile censetur¹⁵.

f) Procacitas. — Procacia plebis ingenia¹⁶, et nisi vim me-
tuet, audace, torbidum¹⁷ vulgus est.

¹ Histor. Lib. I.

² Orat. pro Planc.

³ Epist. Ad Caesarem.

⁴ De Vita Beata. Cap. 4.

⁵ Tacit. Histor. loc. cit.

⁶ Id. Annal. I.

⁷ Id. Ibid.

⁸ Id. Ibid.

⁹ Id. Ibid.

¹⁰ Id. Histor. I.

¹¹ Id. Ibid.

¹² Sallust. Jugurthin.

¹³ Cicero, Pro Cleanthe.

¹⁴ Tit. Liv. Histor. Lib. XXIII.

¹⁵ Histor. Lib. III.

¹⁶ Tacit. Histor. Lib. II.

¹⁷ Id. Annal. Lib. VI.

Hi, ethnicos Scriptores iuxta [qui humaniter tantum temporum vicissitudines consideravere], praecipui vulgi mores sunt. Quo fit ut nil difficilius quam regere plebem, qui [quoquomodo et quibusvis personis coalescat] plebs semper paci insueta et tumultui assueta, iustitiae veritatisque ignara et, [ut memorat D. Augustinus] *sylva bestiarum frementium*¹ est. Eam igitur purificando ac adiuvando adeo Pastor purget et roboret ac de terrenis ad superna erigat, ut [in quantum humana condicio sinit] *efficiamur divinae consortes naturae*².

§ II. — Media peculiaris quae esse possint.

SUMMAE RERUM. — 76. Animadversiones praeviae. — 77. De fidelium agnitione per alios acquirenda, et primum de eorum fama perscrutanda. — 78. De directa eorum agnitione, et ad rem media. — 79. Conclusio.

76. — Media ad christifidelium agnitionem in generalia ac peculiaris dispesci possunt. Prima in eorum passionum physici temperamenti ac characteri notitia continentur, de quibus omnibus alibi³ dicemus. Altera vero seu peculiaris, ante omnia in ea quae per alios, et per se ipsum Pastor adhibere debet facile dispesci possunt, quae indigitamus paucis.

77. — Quae communi fama, vel opinione de subdito ferantur Pastor inspiciat. — Enimvero, fidelium mores multo minus sibi quam aequalibus notos plerumque esse, necesse est ut ante omnia ipse sciat; oppido quidem Pastores falluntur si eo quod Praepositi sunt, sese omnia noscere reputent. At, contra, subditi sese facilius ad invicem perspectos habent; nam qui saepe e Pastoris conspectu sese abduunt, simulatam quam gerunt personam cum aequalibus exuunt, quo fit ut diuturna et *communis fama raro sit fallax*⁴. — Attamen arduum, plerumque, est eam noscere, cum ipsa fere semper *a mobili vulgo*⁵ pendeat, cui non *iudicium, non veritas* est⁶; qui *non delectu aut sapientia ducitur ad iudicandum, sed impetu et quadam etiam temeritate*⁷. *Non est, enim, consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia*⁸; *ne quidquam facilius quam in qualibet re affectum mutare populum*⁹. Quae cum ita sint, vulgus fere semper, non quod bonum iustumque est, sed quod dulce

¹ De civit. Dei, lib. II, cap. 3.

² II Petr. I, 4.

³ Cfr. indic. alphabetic. *Characteres, Passiones, Temperamenta.*

⁴ Tacitus, *Histor.* Lib. II.

⁵ Id. *Ibid.* Lib. I.

⁶ Id. *Ibid.*

⁷ Cicero, *Pro Plancio.*

⁸ Sallustius, *De Republ. ordin.*

⁹ Quintilianus, *Declamat. II.*

utilique sibi laudat: *quis, enim, placere potest populo cui placet virtus?*¹. Ideoque si nimis facile credideris, oppido falleris; nam *quaedam falsa, veri speciem ferunt et omnia, fama trahente, maiora sunt vero*². Quamobrem Pastor, antequam publicae famae fidem praestet, *recolat semper illam verissimam sententiam quod id quod verum et probum est, a paucissimis probaturi; quod multitudo probat, hoc fere erroneum et pravum est. Vulgi sententia est: Non hunc, sed Barabbam*³ — *In detegendis*⁴, igitur, *hominum moribus et ingeniis solers et consideratus esto*⁵, et quidquid ab aliis affertur prius a codicibus rimeris subtiliter, nec omnia omnibus credes. — Ad hoc Pastor Isocratis monitum attente consideret: *nihil utilius ad hominum perscrutandum animum quam sedulo alios de aliis loquentes audire*⁶, quo is de quo sermo fit, ac is qui loquitur dignoscuntur. *Verbis, enim, homines sicut aere tintinnibus dignoscuntur*⁷, et *quoties dicimus, toties de nobis iudicatur*⁸. Ad rem, postremo, utilissimum erit prudentum virorum consilia exquirere qui pastoralis regiminis praesertim artem diu exercuerint, atque cum hominibus conversati, eos apte dignoscunt. Nam *utilis semper est docti viri allocutio, quia aut discit audiens quod nescire se noverat: aut cognoscit, quod est amplius, quod se nescire nesciebat*⁹.

78. — Subditorum:

a) cognoscantur verba, quibus *homines sicut aera in tintinnibus dignoscuntur*¹⁰; *in lingua, enim, sapientia dignoscitur, et sensu, et scientia, et doctrina in verbo sensati*¹¹. Enimvero, *imago animi est sermo: qualis vir, talis oratio, et aegrotantis animi passus est sermo*¹². Ideoque quae in habili Pastoris cum fidelibus consuetudine habendo ab his proferuntur, ad iudicium de ipsis efformandum iter fere tutum esse queunt. Nam, quamvis adsint qui Pastore coram veluti personati extent, attamen [certo tempore] subditi Praeposito animum suum liberius pandunt, ea libertate qua tamen numquam abuti licebit. Ad rem non aurium tantum, sed et oculorum pollere acie, plurimum, iuvabit.

b) Subditorum perscrutentur opera; nam multi sunt *largissimi promissores et tenuissimi exhibitores*¹³, et *si multum eloquentiae,*

¹ Seneca, *Epist.* 21.

² Curtius, *De Rebus Alex.* Lib. IV.

³ Seneca, *loc. cit.*

⁴ Ven. Barthol. a Martyrib. *Stimulus Pastor.* Par. II, Cap. 5.

⁵ Plutarch. *de Republ.* IV.

⁶ Sentent. 162.

⁷ Quintilianus, *Declam.* III.

⁸ Cicero, *De Orat.*, Lib. I, cap. XXVIII.

⁹ S. Greg. Magn., *Epistolar.* Lib. II, epist. 29, *Ad Eulogium Episcop.*

¹⁰ Quintilianus, *Declam.* III.

¹¹ *Ecclis.* IV, 29.

¹² Quintilian. *loc. cit.*

¹³ S. Bernardus, *De Consideratione,* Lib. IV, Cap. II.

parum sapientiae habent¹. Sapientia vero est quae nos monet: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*²: *omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*³. Veritas, enim, iusta est quando mens, lingua et opera adeo vere concordant, ut quod quis sentit in corde, hoc proferat ore et perficiat opere⁴.

c) Intentionem qua fideles agunt Pastor attendat; nam multi humana tantum ratione bene loquuntur et agunt, quae, etsi perscrutari Pastori sit illicitum, tamen, interdum, facile ac sponte ipsi demonstrant.

79. — Hisce [caeterisque quae facile subaudiuntur] mediis omnibus, suorum christifidelium caeterorumque cum quibus versatur studia moresque adeo Pastor prudens dignoscet ut, eorum peculiaribus necessitatibus sese caritative aptando ac subveniendo, regiminis, christianae observantiae ac apostolici ministerii praeclaros ex eis fructus, in christianae vitae bonum, perquam suaviter [eius iuxta munus] percipiat. Quae si, e contrario, Pastor negligat, Ezechielis illud, Israelis custodibus dictum, ipse merebitur: *quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesistis; sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia*⁵. Ne hoc tristissimum in eo impleatur, huic christifidelium praesertim studio adeo incumbat Pastor ut, iure meritoque, cum Apostolo ingeminare possit: *Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos*⁶. Redemptor, enim, noster in mundum veniens, vasa irae fecit vasa misericordiae, et omnibus ad se venientibus pietatis suae sinum aperuit⁷.

Articulus IV.

DE PECULIARIBUS PRUDENTIAE ADIUMENTIS.

Sui ipsius, rerum paroeciae ac christifidelium agnitione in Pastore supposita, ad prudentiae leges pastorali suo in regimine servandas, tum propriae, tum alienae experientiae studere, negotia bene gerendi artem probe callere, ac consilio uti valde iuabit. Peculiariora in his prudentiae adiumenta continentur, quae breviter illustrare nostrum est.

¹ Sallustius, *Catilin.*

² Matth. VII, 20.

³ Ibid. VII, 16.

⁴ S. Albertus Magn. *De Paradiso animae*, Par. 1.

⁵ XXXIV, 3.

⁶ I Corinth. IX, 22.

⁷ S. Gregor. Magn. in *Psalm. Poenit.* Psalm. V.

§ I. — De experientia consulenda.

SUMMAE RERUM. — 80. Animadversiones praeviae. — 81. De experientiae fontibus et primum de propria. — 82. De aliena consulenda. — 83. De lectione ad hoc adhibenda. — 84. Quid de practico experientiae usu tenendum. — 85. Conclusio.

80. — De experientia in regimine consulenda suadet Sapiens monendo: *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: Jam, enim, praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos*¹. Ne dicas, igitur, quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt; stulta, enim, est huiusmodi interrogatio², sed interrogate de semitis antiquis quae sit via bona, et ambulate in ea³.

81. — De experientiae fontibus cum dicere velimus, duplicis differentiae [prout duplex ipsa experientia] eos esse comperimus, propriae, nimirum, ac alienae. — Experientia propria omnino aperte ab Ecclesiaste indigitatur, monenti: *Qui tentatus non est, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa: et qui multa didicit enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit...: qui tentatus non est, qualia scit?*⁴ Quidquid, enim, quidam in contrarium autument, experientiam propriam salubriorem plerisque evadere certum est. Haec, enim, quum [persaepe] tribulationis filia sit, adeo oculos [prospera obcaecatos fortuna] adaperit, ut tum in mente, tum in corde altiora cruentioraque vestigia [demum in tempore revictura] defigat, quae et ostendit futura, et abscondita antequam eveniant⁵. Dolorosa, enim, tantum experientia pueri in homines commutantur, qui [quaquaversus indesinenter vexati] mundi nequitiam agnoscunt, sincere eum fastidientes et ad supernam Sanctorum Patriam toto corde anhelantes, ad illam pervenire indesinenter contendunt. Enimvero ut non secundus et favens ventus nauclerum expertum reddit, ita pacata nec fere ullis agitata casibus vita haud egregium Pastorem. Sane qui variae fortunae aestus experti sunt [propositis sibi variorum exemplorum imaginibus] adeo quae vitanda sequendaque sint aliorum in vita [tamquam in speculo] vident, ut in discernendo agendoque acutiores prudentioresque efficiantur. *Mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi* de se ipso Mitridates⁶ obtestatus est; quod

¹ Eccles. I, 10 et seq.

² Id. VI, 16.

³ Eccles. VII, 11.

⁴ XXXIV, 11.

⁵ Eccles. XLVIII, 28.

⁶ In eius sententiis.